Probatur hoc quia scandalū pōt dari preter intentū vt latius dictuz est arti. precedēti in prima cōclu. ⁊ ex ibi dictis in.6.casu comprobantur ista: ideo nō replico aliter. vide ibi. Cōfirmo ista per Cypria. in libro de habitu virginū vbi sic dicit Ceterū si te sumptuosius comas: ⁊ per publicū notabiliter incedas: oculos in te iuuentutis illicias: suspiria adolescētū post te trahas: concupiscēdi libidinem nutrias: peccandi fomenta succēdas: vt ⁊ si ipsa nō peras alios tamen perdas: ⁊ velut gladiuz te ⁊ venenuz vidētibus prebeas: excusari nō potes quasi mēte casta sis ⁊ pudica: redarguit te cultus improbus ⁊ impudicus ornatus nec cōputari iā potes inter puellas ⁊ virgines christi: que sic viuis vt possis adamari. hec ille. Talis ēt euētus habetur pro precogitato vt dictū est art°. precedēti. in prima conclusione. Cōfirmatur hoc quia sola mala intentio nō est illa q̄ faciat habitū esse prouocatiuū sed forma vestis est illa q̄ facit vestē prouocatiuā quia forma dat esse rei: nō. n. intentio mala mulieris est illa q̄ prouocat videntes quia nō vident intentionē: sed vestem: quia ergo prouocatio ipsa nō ab intentione sed ab ipsius vestis forma procedit: iō si vestis in sua forma nimiū sit prouocatiua: erit secūdū se peccatū morta. hinc basilius in epistola ad nepotes ait. Occupatū esse in corporis ornatu nō minus turpe dicēdū

arbitror φ aut pellicē esse aut adulteꝝ. Et Hiero. ad Furiam de viduitate seruāda ait. Aut loquēdū nobis est vt vestiti sumus: aut vestiēdū vt loqmur. Quid aliud pollicemur ⁊ aliud ostendimus? lingua personat castitatē: ⁊ totū corpus profert impudicitiam. Hec ille.

Dant ēt vltra predicta occasiones male senciendi de talibus sic inhoneste incedētibus ⁊ cum magno periculo fame sue nā ꝯm Ambro. prime ad Thimo. 2. c. superbus habitus nec impetrat: nec recta de se facit Credi. hec ille. Et Chrisost. ibidē ait. Noli imitari eas q̄ meretricio feruntᷓ icessu. Ille. n. ꝑ exteriorē hītū plures post se trahūt amatoꝝ greges: atq3 hinc plurime sepius pessima suspitione nō carēt sed ⁊ plurimis ea opinione nocuerūt: plurimos. n. ex hac opi. violauerūt. Verū qd agā inquies si alius ō me suspicetᷓ? tu huic suspicioni ꝑ habitū per incessum ac aspectū: ⁊ omnē corporis motū fomenta ministras. hec ille. Et Quintilianus libro. 8. ait Cultus cōcessus atq3 magnificus addit hoībus autoritatē: at muliebris ⁊ luxuriosus nō corpus exornat sed detegit mentē. Et Homerus in Odissea ostēdit ex vestibus ornamētū ac nomen plerūq3 cōparari: propter φ Lisander refutauit vestimēta pretiosa sibi a Dionysio missa pro exornādis filiabus: dicēs: ne ob ista aliquo modo minus venuste videantur. Et ideo si video mulierem in habitu meretricio moueor ad credendum illam esse meretricem arg. l. item apud labeonē. §. si quis virgine3. ff. de iniurijs: ⁊ qui percutit clericū comā nutrientē nō est excōmunicatus si credit illū esse laicū. c. si vero el secūdo de sen. excō. ⁊ ibi per docto. Hinc Hiero. super Ezechielē. c. 8. dicit vultu ⁊ oculis dissimulari nō pōt ꝯsciētia: luxuriosa ⁊ lasciua mens lucet in facie: ⁊ secreta cordis motu corporis ⁊ gestibꝰ indicantᷓ hec ille. ⁊. S. Tho. 2ª. 2ᵉ. q. 169. ar. 1. ad. 3ᵐ. dicit φ exterior cultus indiciū quoddā est mētis humane. ideo Salomon eccle. 19. c. ait amictus corporis ⁊ risus dentiu3 ⁊ ingressus hominis enūtiāt de illo: ⁊ ꝯm Ambro. in primo de offi. habitus mentis: in corporis statu cernitᷓ. hinc. s. ex motibꝰ exterioribus hō cordis nostri absconditus aut leuior aut iactātior aut turpior aut grauior aut cōstātior ⁊ purior ⁊ maturior extimatur ⁊ ꝯfirmat. S. Tho. 2ª. 2ᵉ. q. 68. ar. 1. ad. 3ᵐ. ⁊ ista potes addere ad

re ad cóprobádū dicta supra in art.p° in p².cócl.in.7°.casu.
¶ Infero ex pdictis q mulieres peccát mortaliter qñ pectus ⁊ mammillas ostédūt ⁊ hec est cō.opi.summistarū in hac materia:ratio est qr dant occasioné sufficiété ruine spirituali alioꝝ ⁊ qr hec cóclusio cóiter tenet:ideo non fundabo aliter ipsam pro nunc. Amplia istá cóclusioné etiá qñ portarent pectus ⁊ mammillas velatas velo valde subtili ⁊ diaphano:nam perinde est ac si nihil velaminis portarent vt supra in hoc art.in.3°. casu pbaui:immo quidá dicūt q sic subtiliter velate apparent pulchriores.⁊ in isto casu credo multas illaqueatas qr portát hodie velamina valde subtilia.
¶ Idé dicédū sm quosdá si ostédūt humeros seu pectora excessiue:lz etiá si modicū denudét:sit valde periculosum ⁊ qñqz posset esse morta.sm occasioné datá:puta si mulier habeat pectus valde pulchrū: Pro hoc dictum magni Basilij in libro de vera integritate virginis:⁊ Arch.Flo.in.3.par.tit.2.c.2. sequitur ipsuz. Dicit ergo ita Basilius. Pudore igit ⁊ tunica seipsam pudice ⁊ verecūde cóponet:nec solū nihil membrorum que operta sunt:nudari vlla róne permittet:verū summa ⁊ secura obseruatione:circūteget: vt nó solum ipsa illesa atqz illibata permaneat:sed ⁊ qui intueát illá:nullá ex aspectu eius lesionis materiá capiát. Uidétes.n.filij dei filias hoium q essent pulchre deuolute sunt ad eas. Sufficit qppe vel modice nudata pulchritudo:dei quoqz filios ad voluptaté emollire. hec ille. Inde Hiero.in epistola ad matré ⁊ filiá in gallijs cómorátes loqués de malitia quarūdá mulieꝝ ait. Palliolū interduz cadit vt candidos nudet humeros.⁊ quasi videri noluerit:celat festina q volens detexerat.⁊ qñ in publico quasi per verecūdiá opit facié:lupanariū arte id solū ostédit: q ostésum magis placere pōt. Et ad demetriadé de cótinétia virginali ait. Illa sit tibi pulchra que nescit esse pulchrá:⁊ pcedés ad publicū nó pectus ⁊ colla denudet:nec pallio reuelato ceruices aperit ⁊c. Uñ sz grecos phrynenen meretricé iudices Athenienses absoluerūt:non oratione.hyperidis q̄q̄ admirabili psuasi:sed viso illius pectore qd speciosissimuz diducta veste nudauerat. Ideo videtur q peccent mortaliter si excessiue ostédūt. Et hec intelligo esse vera ét si nó habeát malá intentionem vt ex supra dictis est probatum.

¶ Aduertēdū est autē quo ad dicta in hoc correlario nā quibusdā videt̄ q̄ ostēdere pectus nudatū: s̄m morē patrie: non sit s̄m se morta. ⁊ rō est s̄m ipsos q2 pectus nō est inter pudenda vnde primi parētes tm̄ genitalia cooperuerūt: Et l3 turpis videat̄ eē talis cōsuetudo insuetis: si tū̄ cōsideremus q̄ cōsuetudo tactus qui plus vrget q̄ visus: nō vituperat̄ vbi cōsueta sunt oscula inter mulieres ⁊ viros: non videtur vituperabilis cōsuetudo mulierū pectus nudum deferentiū: forte. n. vix sic a viris amant̄: ⁊ eos diuertunt a maioribus criminibus. hec illi. Opi. ista est cōtra dicta sanctoꝝ ⁊ cōm. opi. Sūmistarū vt apparet ex dictis in isto. 4. casu. Et rōnes sunt valde debiles: na3 nō obstat q̄ pectus nō est inter pudēda q2 respondeo q̄ l3 nō sit inter pudēda: est tū̄ inter valde ꝓuocatiua: illa aūt que sunt valde prouocatiua nō deberēt fieri ne anime ruant in infernū. Preterea si hec rō esset bona: sequeret̄ q̄ mulieres possent incedere nude quo ad totū corpus exceptis partibus genitalibus vt fecerūt Adam et Eua: ⁊ q̄ hoc nō esset s̄m se mortale: q̄ est absurdissimū ⁊ cōtra mentē oīum sanctorū. ⁊ doctorū. Preterea negari nō pōt q̄ procedere sic nudata pectore nō sit quid inuerecūdū vt de se p3: vt quasi more vaccarū incedāt: Est. n. iste habit⁹ adeo fedus vt meretrices a non meretricib⁹ difficulter discernant̄. Et ideo dū isti dicūt de mēte. S. Tho. q̄ nullus ornatus muliebris ex hac rōne quia ꝓuocatiuus ad lasciuiam: est s̄m se mortale nisi ex intentione vtentis ad prouocandū ad lasciuiā. Dico q̄ s̄m mentē. S. Tho. hoc est verum nisi ornatus sit inuerecūdus ⁊ impudicus nā tūc est de se mortale prohibitus a lege diuina vt est de mēte. S. Tho. ibi ad primū arg. cōiungendo formā arg'. cū responsione: q̄ autē talis habitus. s. ōndere mammillas vel excessiue pectus: sit inuerecūdus nō est opus probare quia per se patēt: q̄ etiam sit impudicus satis patet ex autoritatibus sanctoru3. S. Cipria. Hiero. ⁊ Basilij in isto. 4. casu illegatis. Et du3 dicunt q̄ sicut pulchritudo naturalis est inculpabilis l3 sit prouocatiua: sic dicendū de artificiali. Rn̄deo q̄ isti errāt quia vt dictū est supra art. primo ornanti se inuerecūde imputantur pro culpa q̄ concupiscatur: sed non sic in naturaliter pulchra: vt ibi dixi. vide ibi dicta ad que pro responsione me remitto.

Et lz Adã ⁊ Eua non texerit nisi pudẽda: hoc fuit q: Adã nõdũ sciebat facere tunicas: ⁊ iõ dr̃ ꝙ post peccatũ dñs fecit illis tunicas pelliceas. i. vt opari fas est: fieri docuit sicut para/recibos: colere agros: vti medicinis ⁊ huiusmodi ita dicit Cãcellari⁹ parisiẽ. Joannes Gerson in. 2. par. in recomẽdatione licentiandorum post Josephum in libro antiquitatum.

Nõ ob. ꝙ cõsuetudo osculorũ ẜm morez patrie nõ vituperat̃ q: respõdeo osculari ẜm se nõ est malũ nec inhonestũ sed est bonũ vel malũ ẜm causaz suã ẜm. S. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 4°. ⁊ iõ dicit Gerson in. 4. par. in ẜmo. cõtra luxuriã ꝙ si oscula fi/ant inter extraneos ⁊ in publico ⁊ per cõsuetudinẽ patrie ⁊ ꝑ amicitiã generis sine immunda cogitatione: ibi nõ est peccatũ hec ille. vnde Jacob. osculatus est rachelẽ adolescẽtulã amo/re casto: ⁊ sancta Cecilia osculata ẽ pectus cognati sui: ⁊ in ec/clesia dat̃ osculũ pacis ⁊ dicit̃ sanctũ ad Roma. vl. c. ⁊ secũde ad corint. c. vl. Et in doctoratu doctor osculat̃ suscipentẽ in si/gnia ꝑ Bal. in. l. cũ a spõso. C. de dona. ante nup. Est ergo os/culũ caritatis vt pz in predictis. Est ⁊ dolositatis vt in osculo iude: est ⁊ vol uptatis vt in meretrice prouer. 7. c. ⁊ de clerico osculãte ꝑ glo. in. c. absit. xi. q. 3. Sed ostẽdere mãmillas vel excessiue pectus mostrare ẽ ẜm se inuerecũdũ ⁊ quãdã conti/nẽs inhonestatẽ vt pz ex dictis basilij ⁊ Hierony. ⁊ iõ cõsuetu do tanꝙ̃ inhonesta nõ excusat. c. mala. 8. dist. ⁊ ab. in. c. fi. de cõ suetu. ⁊ in. c. fi. de prescrip. Est. n. abusio ⁊ corruptella pestifera ⁊ non consuetudo: q: teste experientia: multe anime ruunt.

Excusatur tamen ẜm summã angeli. mulier sic incedẽs coram viro suo aut alijs mulieribus ⁊ ad hoc vide Nico. de Ly. exo di. 38. c. in prin. hoc aũt credo verũ nisi periculũ sit ꝙ vir exce/dat limites amoris maritalis ẜm ea que dixi supra artic°. pri/mo in. 4. cõclusione in. 2. casu dũmodo mulier aduertat de pi culo. Quãdo etiã ipsa sic iret corã mulieribus: si tamẽpericu lũ esset peccati morta. rõne mali exempli aliquo°: tũc aduertẽ do de tali peri culo peccaret mortaliter nõ abstinẽdo vt dixi art. precedẽti. Et si maritus preciperet vxori ꝙ iret sic in pu/blicũ tenetur non obedire q: hic agitur de peccato morta. vt dictũ ẽ art. p̃ce. in. 4. cõclu. i. 3. casu ⁊ ẽt ifradicet̃ ⁊ talis marit⁹ sic p̃cipiẽs peccat morta. ⁊ reddet rõnẽ deo de oibus pecca/tis que propter ipsaz sic incedẽtẽ vel ab ipsa vel ab alijs occa/

sione talis ostensionis cõmittunt maxime q2 dant operam rei illicite.ideo viri ⁊ mulieres tenentur de inde sequentibus.
¶ Infero ⁊.2°.ex dictis in hoc.4°.casu ꝙ iuuenes portantes coram mulieribus vestiméta aperta vel ita breuia ꝙ oĩa signa virilis membri apparẽt vt hodie fit cũ istis brachettis peccãt mortaliter hoc fuit originale dictũ.S.Bernardini:nam beatus Ioãnes de Capistrano qui fuit peritus in iure ⁊ in theologia vt dicit Archi.Flo.in.3ª.par.tit.23.c.5.refert in dubijs suis se audiuisse verbotenus a.S.Bernardino ꝙ hoĩes habétes zupparellos curtos nisi cooperiãt nates.nullomodo videt ꝙ possint absolui.hec ille ad literaꝫ.Idẽ tenet Nicolaus de Ausmo in Suppleméto vbi dicit ꝙ ad inhonestaté pertinet aperte ꝙ ex deformitate habitus viri ostendũt verenda:⁊ mulieres humeros seu pectora.hec ille.⁊ idem tenet summa angelica.
¶ Probatur hoc primo quia hic est scãdalũ nã dant causam efficacé seu occasionem sufficientem ruine multis mulieribus experientia teste.¶ Secũdo q2 dãt operã rei illicite ⁊ ex qua tales inhonesti effectus sepius oriunť.ergo mala inde sequentia sunt illis imputãda vt latius dictũ ẽ arti.precedẽti in prima cõclu.in.6.casu in.5.arg.Cõsideret hõ ad hoc cognoscẽdũ si videret mulieré tali habitu vestitã ꝙ ante ⁊ retro representaretur forma pudendoꝝ muliebriũ eo modo quo sunt:quid cogitaret:⁊ an pp talia temptareť nec ne:⁊ videbit hoc idẽ dicendũ esse ⁊ potius in muliere (cũ sit fragilior) qñ videt brachetã ⁊ nates ita detectas.¶ Tertio probať ꝑm quosdã q2 nihil inhonestũ põt esse licituꝫ:cũ honestas sit vna de partibus essentialibus iustitie.l.iustitia.§.iuris precepta.ff.de iust.⁊ iu.⁊ ꝑm Ambr.in primo de offi.c.14.ꝙ turpe est:nõ põt esse vtile:nec id qđ honestũ est:inutile:q2 cõplex honestatis est semper vtilitas:⁊ vtilitatis honestas.hec ille.⁊ ideo nõ solũ ꝙ liceat sed ⁊ ꝙ honestũ est:cõsiderãdum est.l.semper in cõuẽtionibus de reg.iur.⁊.c.magne de voto.Et si vnq̃ brachete fuerũt inhoneste sũt hodie q2 sartores faciũt eas amplas ⁊ cũ quadã forma ita sursum erectas vt quasi ad vnguẽ membrũ virile videatur. An aũt tũc femine vidẽtes tales brachettas cogitẽt de passione Christi vel de gloria paradisi vel de penis inferni:nescio:tũ credo ꝙ nõ.Nec excusanť iuuenes si dicãt se de hoc nõ cogitare

gitare

gitare nec intēdere aliqd mali.qꝛ sunt in culpa portando talia
nec aduertēdo:qm̄ aduertere debēt vt latius dictū est in arti.
precedē.in prima cōclu.sicut proiciēti aliqd de fenestra super
viā publicā:ob qđ deturpatū ē paliū alicuius inde trāseuntis:
vel homicidiū secutū:imputat̄ ꝙ inde deiecerit aliquid.per to.
tit.ff.de his qui deiece.vel effude.nā est in culpa nō ꝓuidēdo
preuidēda iuxta dictū Bal.in.l.solā.C.đ testi.ꝛ ē bonus tex.
in.l.si putator.ff.ad.l.aqui. Et ad quēlibet spectat circūspectū
esse in suis negocijs tā quo ad deū ꝙ etiā quo ad ꝓximū:ꝛ ob
id sancta quatuor aīaliū describunt̄ ab Ezechiele intus ꝛ fo/
ris oculis plena ꝓm Grego.in.19.mora. Jdeo pp talia ꝛ simi
lia christiani ab infidelibus deridenť nā vt dicit dictus frater
Ricardus in ꝑallegato libro de moribus ꝛ nequitia turcho/
rū turci oēm leuitatē in gestibus vestitu:ꝛ apparatu detestanť
sicut ignē:abhominanť sicut pestē:videntes leuitatē christia
norū in vestitu ꝛ equitatu:ꝛ alijs quibuscūq3 deridēt eos:ꝛ ca
pras ꝛ simias vocant.hec ille.

¶ Quidā qbus hec sñia dura vr̄:dicūt ꝙ si hoc ē verū:totus
mūdus eēt ī statu dānationis:cū h̄ vbiq3 vsitet̄. Rñdeo ad h̄
cōcedo ꝙ multi vtriusq3 sexus ob hoc damnanť.ꝛ quid mirꝫ:
cū xp̄s dicat ꝙ pauci sunt electi:ꝛ ꝙ arcta est via que ducit ad
vitā ꝛ pauci ingrediunť p eā:ꝛ in psal.dr̄ oēs declinauerūt si/
mul inutiles facti sunt:nō est q faciat bonū:nō est vsq3 ad vnū
ꝛ teste apostolo totus mūdus positus est in maligno. Et quis
recte sapiēs audeat dicere ꝯriū cū pp has maledictiones iuxta
dictū O see.c.4.adulteriū ꝛ fornicatio ꝛ ois luxuria ac turpitu
do inundauerit: Quis inquā sani intellectus cōtradicet cum
effectus causam demonstret: vt.n.ait Plautus in truculento
nūc lenonū ꝛ scortoꝝ plus ē:ꝙ muscarū cū caleť. Effect⁹ inq̄
demōstrat cām.s.ꝙ pp has maledictas vanitates ꝛ ihonestas
portaturas:honestas:verecūdia ꝛ pudicitia a ꝑsonis vtriusq3
sexus exulant:fugate sunt:immo potius virtutes oēs perierūt.
Preterea h̄ argm̄ nil cōcludit qm̄ ꝓm Hiero.multitudo pec
cātiū nō ꝓstat errori patrociniū:ꝛ dn̄s exod.23.c.ait ne sequa
ris turbā in malū:quā sentētiā imitatus Pythagoras ait per
viā publicā ne ambules.i.ne multoꝝ seq̄ris errores ꝓ3 Hiero
in ep̄la rñsiua ꝯ Ruffinū in qua ponit simbola pythagorica

7 per Reuchlinum.2°.de arte cabalistica. Dicebat etiaz Pythagoras teste Ficino in primo libro epistolarũ suarũ. Populares vias declinato:ito per diuerticula. Et ideo ait Seneca in libro de vera vita. Pessimũ argumẽtũ ẽ turba: queramus quid optimũ sit: nõ quid vsitatissimũ. Et multũ bene ad ꝓposi tũ dicit Gerson in.2.par.in tractatu de simonia ꝙ valde multa (proh dolor) fiũt 7 facta sũt habẽtia speciẽ mali: sicut 7 alia vitia videmus regnare passim apud hoies: virtutes antẽ raro. Hec est n. argumẽtatio pessima: multitudo hoc facit: ergo est licitũ: quoniam oppositum consequentis frequenter 7 quasi semper stat cum antecedẽte. hec ille. vbi statim respondet ad aliud arg. ꝙ sibi obiciebat in illa materia. s. ꝙ nõ est probabile ꝙ tot annis tollerasset ecclesia. vt ibi per ipsum. Et quid mirũ est si pp tales ad inuentiones inhonestas multa scelera perpetrent 7 desiderent fieri a vidẽtibus illas: qñ vt ait Gerson in 3.par.in tractatu d exercitijs discretis deuotorum simpliciũ.c.3. homo cogitãs nimis de imaginibus 7 suis circũstãtijs: de pijs cogitationibus descẽdit ad turpes: 7 a spiritualibus ad carnales: prout in nõnullis deuotis personis in his incautis: cõpertum ẽ quãdoqz in ipsa imagine crucifixi ex nimia cõsideratione circa corporis dñici nuditatẽ eiusqz femoraliũ. Qui casus sicut mulierculis est valde possibilis: sic versa vice poterit iste casus 7 viris non esse impossibilis: si nimis figant eorũ cogitatus erga sanctarũ virginũ imagines corporeas: vt etiã experiẽtia nõnullos docuit: 7 ideo caueamus. hec ille. Si ergo circa imagines crucifixi 7 sanctarũ talia suscitant que tamen causa deuotionis ab ecclesia inducte sunt: quid obsecro pensanduz est fieri a mulieribus vidẽtibus brachettas 7 nates sic indecẽtes ostẽdi: quid inquã cogitant qñ coram ipsis: Juuenes de brachetis extrahũt nasitergia 7 pecuniaz. quasi desint manice diploidis vel vestium pro nascitergijs reponendis: vel burse 7 marsupia ꝓ pecunijs deferẽdis. Quid cogitãt inquã puelle nubiles vel maritate qñ vidẽt manus apodiare sup brachetas 7 alia agere corã ipsis que nec lenonibus cõueniũt: propter ꝙ vt ait Satyricus Omne i precipiti vitiũ stetit. Caueãt sibi igitur predicatores non mordẽtes sed palpãtes vitia. Caueãt 7 cõfessores absorbẽtes. nõ absoluẽtes de talibus.

¶ Rursum quidã quibus nõ placet hec sententia: dicũt ꝙ licet viri in caligis membri virilis formã accõmodã preseferant: tñ cõsuetudo ipsa testat̃ nõ esse mortiferũ: ⁊ aliquibus forte nec veniale: nã de his que nõ sunt ẜm se praua: nõ facile ferẽda est sentẽtia qr ꝙ vni videt̃ turpe aut impudicũ: alteri aut alibi nõ videt̃ turpe aut impudicũ. hec illi. Sed hec sũt valde debilia fundamẽta nã dicere ꝙ cõsuetudo oñdit nõ esse morta. ẜm se. Dico ꝙ in similibꝫ ad q̃ ex natura corrupta proni sunt homines vt est luxuria ⁊ ad ipsaꝫ ptinẽtia: immo ẽt in multis etiam horrendis nõ põt sumi argumentũ a consuetudine tã validũ quo ad cognoscẽdũ an sit morta. vel non qr mala consuetudo sic deprauat rõnẽ ꝙ nõ solũ vnus homo sed ẽt multi homines immo vna regio vel prouicia tota non cognoset ẽt in rebus satis euidentibus illud esse malũ hoc est de mẽte. S. Tho. pma 2e. q. 94. art. 4. vbi post cesarẽ in cõmẽtarijs dicit ꝙ oliꝫ apud Germanos latrociniũ nõ reputabat̃ illicitũ ⁊ tñ hoc est de se peccatũ ⁊ ibidẽ art. 6. dicit ꝙ ꝓpter malã cõsuetudinẽ vitium sodomie nõ reputabatur illicitũ vt dr̃ ad Roma. p°. Cõfirmo hoc nã Massagete ⁊ indi: teste herodoto: filij parẽtes senes occidũt ⁊ eorũ carnibus vescũtur: ⁊ Dariꝫ tẽptauit eos a tali abusiõe reuocare nec potuit. Narrat diodorus siculus morẽ eẽ ethiopũ vt rei capitis querẽde salutis gr̃a e patrio solo sine dedecore migrare nõ possint: Cũ ergo quidã capite dãnatus fuga salutẽ querere cogitasset: mater ipsuꝫ strãgulauit ne vniuersa familia ob id factũ infamia notaretur: que res apud alias gentes haberet̃ impia ⁊ crudelis ⁊ hoc ẜm diodoꝝ siculũ propter cõsuetudinẽ que nescit rebus etiã absurdis dissentire vide Bissarionem Car. grecũ in lib. 4. defensſorij Platonis. Item apud Getulos femine cum q̃buscunq; velint coeũt nec adultere vocantur. Omnes etiam medi canes dilgenter pascũt quibus morientes homines adhuc spirantes proiciunt. ⁊ apud gallos pueri publice olim nubebant: vide Eusebium in 6. de preparatione euãgelica. c. 8. Refert etiaꝫ Hieronymus contra Jouinia. ꝙ tibareni quos dilexerint senes: suspendunt in patibulis. hircani. volucribꝫ ⁊ canibus seminiuos proiciũt. Scite eos qui a defunctis amati sunt viuos infodiunt cũ ossibus mortuoꝝ. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obiciũt

senes q cũ Alexandri prefectus nichanor emẽdare voluisset quasi amisit puinciã. Uides ergo in sepulchris ꝛ in cõnubijs ꝛ in omni ꝯseruatione q vnaqueqꝫ gens suo ritu ꝛ ꝓprietatibꝰ victitet: ꝛ hoc eã nature legeꝫ putare q didicit hec Hiero. Patet ergo suũ fundamẽtũ nullius esse momẽti. Et lꝫ ꝯsuetudo in multis excuset: nõ tñ qñ est cõtra bonos mores. c. q̃ cõtra 8. dist. ꝛ nota. in. c. fi. de cõsuetu. ideo dicit Juriscõsul. in. l. ex dãni infecti in princi. ff. de dã. infec. q honestus modus seruãdus est ꝛ non immoderata cuiusqꝫ luxuria sequenda est ad quã luxuriã valde excitat talis delatio brachetarũ q̃ ẽ inhonesta: ꝛ freqũeter ꝛ sepius dãs occasionẽ mulieribus cadẽdi in illicita desideria vt experientia docet. Excusantur tñ ſm summã ange. portãtes brachetas coram talibus q nõ habent prouocari ad lasciuiam sicut cũ iuuenes ludunt in diploide simul. Ex predictis colligitur non esse mirãdũ si male assuetis videãtur forte dura ista que scribimus ꝯtra istas vanitates qm̃ ꝛ de infallibili veritate dictũ est a quibusdaꝫ Joan. 6. c. durus est hic sermo. Et ex cõsuetudine venenũ ẽ ꝓ cibo vt dicit auerro. in. 3. phisico cui post galie. ꝛ auice. cõcordat cõcilia. differẽtia 22. ꝛ. 142. ꝛ i lib. de venenis ꝛ eoꝝ remedijs: sic hodie ꝑꝑ malam consuetudinem inhonesta adeo videnť honesta vt cõtra illa loqui videať absurdũ nimis ꝛ asperũ sicut videbať nationibus nũc nominatis. Cum tñ sancti doctores vbiqꝫ vanitates detestãtes ostendãt grauitatẽ peccati istiꝰ ꝛ quot dãnenť ꝛ quot innumera peccata mortalia inde orianť vt pꝫ ex predictorũ sanctorũ autoritatibus sparsim in presenti opusculo allegatis: vt merito Dauid egregius psaltes exclamauerit psal. 39. beatus qui non respexit in uanitates ꝛ insanias falsas.

¶ Secũdus casus principalis est quando certum est talem ornatum vel q vti tali ornatu est peccatum veniale quia tunc secũdũ summistas non est deneganda absolutio etiam si vellet perseuerare q: venialia nõ sunt de necessitate cõfessionis secundum Scot. in. 4°. dist. 9. ꝛ dist. 17. ꝛ alios theolo. Istud puto verum nisi mulieri immineret periculum cadẽdi in mortale nisi deinceps abstineat nam tũc mulier aduertens de periculo tenetur abstinere ab illo veniali: alias non potest absolui: ꝛ hoc quia exponẽdo se scienter periculo peccati morta.

peccaret morta. vt late dictū est art. precedēti in prima conclu
sione in .5. casu hoc est φ dicit. S. Bona. in. 4°. dist. 16. in. 2.
par. arti. vl. q. vl. volens φ quis tenetur penitere de peccato
veniali ratione periculi ad qđ ducit quādo aduertit periculū
idem sensit Alex. de Ales in. 4. par. q. 65. membro. 3. ar. 3.
.§. primo ⁊ in hoc casu tenetur confiteri de isto veniali ꝓm mē
tem Alex. de Ales ⁊ S. Bona. ⁊ sequūtur summiste in ma-
teria cōfessionū: Cōcordat ricar. in. 4. dist. 16. ar. vl. q. 1. vbi di
cit φ penitētia de venialibus non est necessaria ad salutē per
se sed per accidēs rōne periculi: qñ. s. perpēdit homo aliquam
affectionem deordinatam venialem tñ ita in ipsa intendit φ
probabiliter coniecturat φ nisi ipsam per penitētiam abiciat
trahat ipsum in peccatū mortale hec Ricar. Cōprobo hoc
ꝑ id qđ dicit post vmbertū ī expositione regule beati Augu
stini Archi. Flo. in. 2. par. ti. 9. c. 6. ⁊ fuit etiam doctrina Car-
di. Alex. in. c. si peccauerit in. 5. col. 2. q. prima post Cardina.
de turre cremata ibidē arti. 9. vbi omnes isti dicūt φ cum ve
nialia sit dispositio ad mortalia. Duplex est dispositio ad mor-
ta. quedā propinqua ⁊ quedā remota: Dispositio remota est
verbū ociosum leuitas risus aspectus vel auditus curiosus no
uitatū ⁊ huiusmodi. Dispō propinqua est vel ratione multitu-
dinis vt in illo qui assidue sine numero hec cōmittit: vel ratio-
ne magnitudinis vt sunt aliqua mendacia multū scādalizātia
⁊ alique detractiones ⁊ huiusmodi. Uel rōne cōnexionis cū
morta. sicut sunt colloquia impudica: ⁊ visus fixus circa mulie
rē ⁊ huiusmodi. Sicut ergo aliqs vidēs incedētē ꝑ viā credit φ
statim incurret periculū mortis: peccaret nisi eum retraheret
ita pōt aliqs peccare mortaliter nisi corrigat fratrē ð huiusmo
di venialibꝰ q̄ sunt dispō ꝓpinqua ad morta. vt ē petulātia de
qua loqt̄ Aug. in regula: tenemur ergo p̄ceptorie ad correctio-
nē fraternā de venialibꝰ interdū: nō inq̄tū venialia sed inq̄tū
ad morta. inducētia. hec illi. ⁊ Astē. lib. 2. tit. 67. ar. 4. ⁊ aliĳ. sū
miste cōcordāt in mā de correctione fraterna. Concludo ergo φ
mulier aduertēs de periculo non pōt absolui nisi desistat lꝫ si
pcm̄ veniale: qꝛ nil ꝓhibet ex veniali oriri morta. ꝓm. s. Tho
2. 2. q. 105. ār. 1. ad. 2^m. Et h̄ siue ipsa ꝑ se aduertat de pericu
lo siue qꝛ ab alio correctā ⁊ admonita vt pꝫ ex v̄bis archi. flo

Et q2 vnicuiq3 deus mādauit de ꝓximo suo eccle.c.17. Ideo qua ratione quādo aduertit de periculo suo tenet desistere a peccato veniali disponēte ad mortale dispositione ꝓpinqua: sic etiā si ex peccato suo veniali alius est in periculo cadēdi in morta.⁊ ipsa aduertat de periculo proximi: peccat mortaliter nō desistēdo: q2 facit cōtra caritatē exponendo proximū scienter periculo peccati morta. Et pro hoc est dictu3 Archi.Flo. in.2.par.tit.7.c.4.ꝙ retuli supra art°.precedēti in prima cōcl. in.4.casu vbi oino videas. Probat etiā hoc q2 loco ⁊ tempore ipsa teneret in isto casu ex precepto dei ad correctionē fraternam.ergo tenet desistere. Et q2 visus fixus in faciem mulieris est inductiuus ad mortale dispositione ꝓpinqua vt nūc dixi ꝫm Archi.Flo.⁊ probat eccle.9.c. Auerte faciē a muliere compta ⁊ ne circūspicias speciē alienā: propter speciē.n.alienam multi perierunt: ⁊ ꝫm Hiero.gladius igneus est species mulierū. Ideo sequitur ꝙ mulier cognoscēs homines faciem ipsius fixius contemplari propter pulchritudinē resultantem ex ad inuētionibus que habet in capite ⁊ circa collū: sequit dico ꝙ tenet abstinere sub pena peccati morta.a talibus ornamentis ⁊ hoc si aduertit de periculo proximi: ⁊ potest illa sine detrimēto sui status dimittere vt dicit Archi.Flo.in.2.par.ti. 7.c.4.⁊ retuli in art°.precedēti. Ideo cū magno periculo animarū suarū versant mulieres que cū balceis vel mitris ⁊ similibus ornāt capita sua.cū quibus alliciunt viros ad cōtemplādam speciositatē suam. Caueant ergo ⁊ diligenter aduertant cōfessores q2 esto ꝙ ista talia essent peccata venialia: tamē negari nō pōt ꝙ nō sint valde inducentia viros vidētes ad mortalia dispositione propinqua vtpote tanꝙ valde venustantia faciem mulieris ⁊ alliciētia oculos virorū ad intuendū: ⁊ ideo propter hec: est valde periculosu3 animabus mulierū talia deferre: illud enim dicit periculosum ꝙ de facili inducit alique3 ad pereundum ꝫm.S.Tho.de malo in.9.q.ar.2.ad.4m. Et ideo ipsi cōfessores non minus in hoc casu tenentur corrigere mulierē ꝫm preceptum correctionis fraterne ꝙ quilibet alius extraneus: immo plus ⁊ tanto plus tenetur quāto plus tenet deo reddere rationē de anima illius quā audit in confessione ⁊ ideo si mulier noluerit audire vocē cōfessoris admonētis ⁊

corrigentis illam ꝛ instruentis de periculo cui exponit viros ipsam vidẽtes: nõ põt illaꝫ absoluere qꝛ tunc peccat morta. vt ex iam dictis pꝫ. Et ista multo magis procedunt in muliere se fucante: cũ pessimũ locum obtineat fucatus inter oẽs ornatus mulierũ ꝭm docto. vt dictũ est art. precedẽ. Et loquor de fucatu qñ certũ est esse peccatũ veniale. sed periculosuꝫ de morta. Uel rõne inordinate affectionis ipsius mulieris ꝭm dictum Ricar: supra relatũ. Uel pp periculũ videntiũ ipsam ꝭm mentem Archi. Flo. supra relatã ꝛ declaratã: qꝛ de fucatu qñ est peccatum morta. dixi supra art. precedenti.

Quinimmo si p artificiosuꝫ capitis ornatũ .s. balceoꝝ vł mitrarum ꝛ huiusmodi superaddat᷑ pulchritudo sufficienter prouocatiua: ꝛ mulier sic in publico seu extra domũ incedit: credo ꝙ peccet morta. tãq̄ dãs causaꝫ efficaceꝫ ruine aliene: eo modo quo in talibus causa esse põt. Cõprobantur ista p dicta supra art. primo in. 4ª. cõclusione de componẽtibus artificiose capillos ꝛ in eisdẽ casibus credo cũ tali ornatu ipsam peccare mortaliter. In quibus dixi ibi ipsam peccare i cõpositione capillorũ. nec ob. ꝙ non aduertit quia debet aduertere: nõ ob. ꝙ ipsa non habet malã intentionem: qꝛ scãdalum põt dari preter intẽtũ. Non ob. ꝙ sic est cõsuetudo quia nõ est cõsuetudo sed abusio cũ inducat aĩas ad peccandũ: ꝛ inde multa facinora ppetrant᷑ iuxta nota. in. c. fi. de cõsuetu ꝛ sepius supra dictũ est. Maxime quia hodie mulieres ad nil aliud vt in pluribus student nisi vt nouas faciant adinuẽtiones: ꝛ iõ non dꝫ esse eis licitũ pretextu cõsuetudinis imo abusionis velle portare ꝛ facere ea que in laqueum animarũ vertũtur ꝛ scandalũ. Cõfirmãtur supra dicta ab idẽptitate rõnis: eadẽ. n. rõ prohibitionis videtur esse in artificiosa cõpositione capitis cum balceis que ẽ cum capillis: si ita cum balceis sicut ꝛ cũ capillis superaddat᷑ pulchritudo sufficienter prouocatiua. Iuxta illud Iuuena. in satyra. 6. Tanti est querendi cura decoris. Tot premit ordinibus: tot adhuc cõpagibus altum Edificat caput: Andromachen a fronte videbis. Post minor est: aliã credas. De illis aũt ornamentis que non põt sine detrimẽto sui status dimittere nil dico hic qꝛ tũc vr̃ excusari per dictũ archi. Flo. in. 2. parti. 7. c. 4. de quo supra art. primo in prima cõclusione in. 4. casu

Sed sufficit ꝙ ei displiceat vt pulchre dicit Gerson in.2.par. in tractatu de cognitione peccatoꝝ venialiū ⁊ mortaliū. quem refero supra arti. primo in.6. cōclu. sicut faciebat Hester.14.c. que orādo dicebat Uide dn̄e necessitatē meā: tu scis ꝙ abbominer signū glorie ⁊ superbie mee ꝙ ē sup caput meū. Sufficit ergo sibi in isto casu ꝙ ipsi displiceat ꝙ pp talia ornamenta vel propter pulchritudinē superadditā ex ornamētis que defert propter sui status condecentiam: alter ruat.

¶ Tertius casus principalis est qn̄ cōfessor nō pōt percipere vtrū sit mortale vel veniale: vel ex intētione mulieris quā confessor nescit intelligere vel illa exprimere: seu ex q̄litate ⁊ q̄titate ipsius ornatus. nā ꝺm summistas nō ē precipiēda snīa vt.s. deneget absolutionē: vel vt faciat illi cōsciētiā de mortali quia faciēdo postea cōtrariū: peccat morta. etiā si illud nō esset mortale q: omne ꝙ fit cōtra ꝯsciētiā edificat ad gehennā: ⁊ promptiora sunt iura ad absoluēdū q̄ ligandū. c. ponderet. 50. dist. Et melius est dn̄o reddere rōnē de nimia misericordia q̄ de nimia seueritate. 26. q. 7. c. alligāt. potius ergo videt̄ absoluēdum ⁊ diuino examini remittendū. Debēt tn̄ predicatores ⁊ cōfessores talia detestari ⁊ persuadere ad dimittēdū cum sint nimia ⁊ excessiua: vt cōmuniter accidit: nō tamē ita indistincte asserere esse mortalia. ita dicit Archi Flo. ⁊ qdā alij pᵒ ipsuꝫ. Quia ista dicta vident̄ mihi minus bene digesta. Ideo dico ꝙ si cōfessor inclinat in vnā partē potius q̄ in aliā cum aliquo tn̄ scrupulo ꝺ parte opposita: tūc dico ꝙ credēdo iste cōfessor ꝙ nō sit peccatū morta. pōt illā absoluere nisi tale factum esset dispositiuū ad mortale dispositione ꝓpinqua. ⁊ aduertit ꝺ periculo vt dictū ē paulo an̄ si vero credit eē morta. licet cū aliquo scrupulo de cōtrario: nō pōt absoluere. Qn̄ autē est in equilibri: ⁊ nō declinās plus ad vnā q̄ ad aliaꝫ partē: sed hinc inde hesitans: tūc dr̄ esse dubius: seu factū dicit̄ esse dubiū. vt dictū est supra art. primo ⁊ in istis terminis videntur loqui Summiste dicentes ꝙ si nescit clare percipere an sit mortale vel sit veniale ⁊c̄. Et tunc dico ꝙ hic sunt duo passus considerandi.

Primus ē qn̄ cōfessor nescit percipere intētionē mulieris vel q: nō intelligit suā intētionē vel q: ipsa nescit exprimere. Secūdus casus ē qn̄ nō intelligit pp quātitatē vel qualitatē ornatus. Quo ad primū qn̄ cōfessor nescit percipere intētioneꝫ vel

illa

illa nescit exprimere: dico q ipsa mulier ⁊ etiã cõfessor debent eligere partẽ tutiorẽ respectu preteriti qr in dubijs tutior pars est eligẽda vt infra latius dicã. Ad hoc ẽt dictũ. S. Bona. in 2°. dist. 24. in. 2. par. circa lite. vbi loquẽdo de cogitatione morosa dicit q si cõsciẽtia nõ aduertit se lesam cogitando morose rõne cõsensus vel cõtẽptus: dz securiorez partẽ eligere ⁊ cõfiteri pure: sic etiã dolere quasi peccauerit morta. hec ille. ⁊ dicit Gerson in. 2ª. par. in tractatu de cognitione peccatoꝝ morta. ⁊ venia. cõsideratione. 19. q cõtingit aliqñ q aliquis ignorat de aliqbus factis vtrũ faciat vel nõ: nec ẽt scit vtrũ peccet mortaliter aut nõ: ⁊ in tali casu põt cõfiteri sub cõditione dicendo. Ego dubito de tali facto: aut de modo facti: aut de intẽtione. Pro quãto ego peccaui: ego cõfiteor: qr in cõfessione nemo mentiri debet: nec affirmat hoc de quo est dubiũ: tamẽ bonuz est ⁊ securũ de talibus penitere ac si certus esset. hec ille. Sed respectu tẽporis futuri dico q nõ debet cõfessor permittere q ista mulier in futurum sic stet incerta de sua intentione: sed debet facere q ipsa rectificet suam intentionẽ ⁊ determinet illaz ad certum quid: pro hoc allego tex. nota. in rõne decidẽdi in l. pretor ait in prin. ff. de iniurijs vbi dicit tex. nota. qui actionez famosam intendit nõ debet vagari cum discrimine aliene estimationis sed designare certũ ⁊ specialiter dicere quã iniuriaz se passum cõtendit. Si ergo quis cõpellitur ad dicendũ certũ ne vagetur cũ periculo fame alterius. quãto magis debet intẽtio rectificari ne vagetur cũ periculo aie sue: ⁊ forte ẽt alioꝝ.

¶ Secundus casus est quando confessor non potest clare percipere an sit mortale vel veniale ⁊ hoc propter qualitatez vel quantitatem ornatus. Et hic dico q stante tali dubio: mulier non potest nec debet absolui nisi disponat de cetero abstinere: q multipliciter probo contra Summistas.

Primo quia si vbi certum est esse veniale sed dispositiuum ad mortale dispositione propinqua: non potest absolui nisi disponat desistere vt dictum est in casu precedenti: multo magis quando est dubium an sit mortale.

Secundo quia in dubijs tutior pars est eligenda. c. iuuenis de sponsa. ⁊ infra dicetur.

Tertio qr stãte dubio an tale quid sit mortale vel nõ tenetur.

amplius nõ facere:al's peccat mortaliter ꝺm. S. Bona. Ricar. ⁊ alios de quibus art. prece. in prima cõclu. in. 5. casu. Et pro hoc ẽ expressum dictũ Scot. in prol. primi senté. in. 2. q. in fi. vbi dicit ꝙ lꝫ in actibus humanis multa sint dubia vtruꝫ sint mortalia etiã suppositis oĩbus doctrinis doctoꝝ expositorum tñ nõ est dubia via salutis simpliciter: qꝛ a talibus periculosis dꝫ sibi hõ cauere ⁊ custodire se: ne hõ dũ se exponit periculo incidat in peccatũ: ꝙ si noluerit querere saluté sed nõ curãdo exponit se periculo: vbi forte de genere actus nõ est peccatuꝫ tñ peccabit mortaliter se tali periculo exponẽdo. hec Scot. ⁊ ita est in proposito nostro. Aduertẽdũ est tñ ad vnũ qꝛ aliqñ dubiũ versat̃ pp̃ qualitaté facti in se an sit mortale vel nõ: ⁊ dico ꝙ est omnino abstinẽdũ: sed si dubium esset nõ pp̃ qualitalaté facti in se sed pp̃ diuersitaté opinionũ: tũc si penités ex rationabili causa vellet adherere vni opinioni magis q̃ alteri: nõ esset denegãda absolutio sed sue cõscientie relinquẽdũ ꝺm Sũmã ange. ꝯfessio. 4°. §. 3. Uide oĩo tex. ⁊ glo. in. c. graue xj. q. 3. ⁊ idem sensit Ang. in ista materia de ornatu mulierum §. 4. ⁊ dictũ Ang. approbat̃ ab alijs Summistis in materia cõfessionũ: hoc tñ vltimũ esset declarãdũ per dicta Goffre. in quoli. 9. ⁊ Archi. Flo. in. 3. par. tit. 17. c. 20. ⁊ Ang. confessio. 4. §. fi. ⁊ ibi per quosdã alios. s. an cõfessor sit curatus an non: ꝙ aliter nõ tango pro nũc qꝛ nõ est ad propositũ nostrũ. Sed hoc solũ dico ꝙ nos in casu nostro loquimur qñ est dubiũ de ornatu propter qualitaté vel quãtitaté ornatus: ⁊ sic propter qualitaté facti in se ⁊ nõ pp̃ diuersitaté opinionũ. Ergo stante dubio pp̃ qualitaté vel quãtitaté ornatus: est omnino abstinẽdũ: ꝺm cõmu. opi. Sũmistarũ in materia cõfessionũ vt p Angeli: cõfessio. 4. §. 3. ꝙ tñ videt̃ esse cõtra cõmu. opi. Summistaruꝫ hic: ⁊ vt mihi videt̃ hoc dictum Sco. videt̃ valde conquassare dicta Summistarum in hoc passu.

¶ Nõ ob. ꝙ iura sunt promptiora ad soluẽdũ q̃ ligandũ qꝛ rñdeo primo ꝙ illud ẽ verũ nisi reus habeat p̃sumptioné ꝯ se qꝛ tũc potius ligat̃ ꝙ absoluit̃ iuxta dicta p glo. in. c. i. ex̃ vt ecclesiã. bñfi. que dicit ꝙ lꝫ actore nõ ꝓbãte reus debeat absolui tñ illud nõ ẽ verũ qñ hꝫ presumptioné ꝯ se: ⁊ dicit nota. Abb. in. c. literas de presumptio. ꝙ statur potius dicto testis sine iuramento

ramento qñ habet presumptioné pro se: q̄ dicto eiusdé cū iuramento vbi non habet presumptioné pro se. Stante aūt dubio de qualitate vel quātitate ornatus: mulier hꝫ presumptionem cōtra se. tū q: ornatus mulierū: cōmuniter est nimis excessiuus vt dicit Archi. Flo. ⁊ quidā aliȷ̄: tū etiā q: ornatus mulierū est periculosus ſm Sūmā Ang. ⁊ est refrenādus ſm oēs doctores tū ⁊. 3°. q: est de sui natura prouocatiuus ſm. S. Tho. ⁊ ideo hꝫ presumptionem contra se arg. c. nec solo. 32. q. 5. Vel secūdo rñdeo ꝙ in foro cōtētioso procedūt allegata in ꝯtrariū sed in foro cōsciētie iura attēdūt id qđ est vtilius anime: ⁊ ideo qñ est vtilius aie: facilius nō dico ligāt sed reputāt ipsam ligatam vt in casu nostro: q̄ denuntient absolutam seu absoluāt. d. c. iuuenis ⁊ statim dicam.

¶ Nō ob. ꝙ meliꝰ ē reddere rōnē deo đ nimia misericordia q̄ nimia austeritate vel iustitia. q: rñdeo ꝙ si ē dubiū principaliter an sit ab aliquo facto abstinēdū vel nō: tutior pars est eligenda ⁊ abstinēdū est vt supradixi ⁊ ita est in casu nostro. Si vero est dubiū nō principaliter super peccato sed vtrū teneat quis ad aliquid faciēdū vel dandū vel penā subeūdā: tunc melius est reddere rōnē de misericordia. c. fi. de transact. ⁊ Bar. in. l. omnes populi de iusti. ⁊ iu. ⁊ ita dicit Sum. ange. ꝯfessio. 4ª. §. 3. ⁊ sequunt ibi aliȷ̄ summiste q: ergo in casu nostro agit solū de peccato ⁊ an sit abstinēdū: ideo tutior pars est eligēda ergo confessor non debet illā absoluere. Vel. 2°. rñdeo ꝙ illa pars est magis misericors ⁊ pia que magis fauet anime vt de se pꝫ: iuxta etiā nota. per Bal. ⁊ Bar. in. l. prima. C. de sacro san. eccle. ⁊ roma. in repe. autē. Similiter. C. ad. l. falci. est aūt maior fauor anime ꝙ in dubio fiat interpretatio in delictuꝫ: ita per multa cōcludit Feli. in. c. cum dilecti de accusa. ideo ait singu. Pet. de anch. cōsil. 179. incip. prima facie ⁊c̄. ꝙ si quis in testamēto cōfessus est se vsurariū: ꝙ ista cōfessio refert ad totuꝫ tēpus vite preterite cū agat de salute animarū: ideo illa regula ꝙ i obscuris ⁊ dubiȷ̄s fiat mitior interpretatio cessat in foro anime: ⁊ hoc dictū pro valde nota. sequit Feli. in. c. dudum in. 5. col. de presumptio. ⁊ in. c. auditis in antepenul. col. de prescript. Ideo dicit Feli. in. c. ad audiētiā de homici. ꝙ si cōfessio facta per moriētē potest importare magnū ⁊ paruū delictum: fit interpretatio de magno in fauorem anime: allegat Pet. de

Ancha.in consi.preallegato. Facit notabile dictum Jo.de Ana.in.c.cõsulit in fi.de vsu.vbi dicit q si aliquid speratur vel datur rõne mutui ⁊ alterius facti simul ⁊ sic cõcurrũt due cau se licita ⁊ illicita Bal.dubitat an censeat vsura:tñ tutius est te nere in dubio q sit vsura fauore anime.hec ex illo. Et sic patet q fauor anime est q in dubijs fiat durior interpretatio dum/ modo sit tutior: ⁊ hoc est q dicicit glo.in.c.primo de scrutinio que ait q hoc est generale q vbi periculum anime vertitur presumit in deteriorẽ partẽ sed licet videatur deterior:tamen melior ⁊ tutior est:⁊ Abb.in.d.c.iuuenis de sponsa.dicit q in cõcernẽtibus periculum anime debemus in dubijs semper te nere q certius est ⁊ q sine periculo anime explicari põt.vñ in istis illa pars est mitior que est tutior.hec ille.⁊ idem latius fir mat Abb.in.c.ad audiẽtiã de homici.vbi dicit q in foro peni tentie semper tutior pars est eligenda licet videat durior qr in ea nullum subest periculũ:⁊ idez dicit vbicũqz dubitatur de delicto aliquo qr bonarũ mẽtiũ est culpã timere vbi culpa nõ est. Idez dicit Abb.ibi vbi agit in foro quasi penitẽtiali puta quia non agitur proprie ad penam sed vt abstineat ab altaris ministerio vel a contractu matrimonij vel ab alio actu exer/ cendo in quo exercẽdo subesset peccatũ tũc.n.debemus inter pretari in partem securiorem licet illa sit durior.hec ille.

¶ Cõfirmo ista p ea que dicit.S.Tho.2ª.2ᵉ.q.60.ar.4.ad vl.argᵐ.vbi dicit q facta nostra ⁊ alterius debemus in deteriꝰ interpretari qñ debemus adhibere remediũ nostris vel alie nis malis quia hoc fit per quãdã suppositionez:cũ ergo in ca/ su nostro factũ sit dubiũ ⁊ ad cõfessorẽ spectet adhibere reme/ dium ideo in deterius debet interpretari qr prouidẽdo maio ri malo:prouidet ⁊ minori. Quod si dicas ad Cõfessorem spe ctat diffinire de rebus.i.de peccatis ⁊ iõ debet iterpretari vnũ qdqz sicut est fm.S.Tho.ibi ⁊ per cõseqnẽs non debet inter pretari in deterius respondeo dupliciter.primo q ppter peri/ culum anime capitur id qd est securius ⁊ si videat durius vt nunc est probatum.

¶ Vel aliter rñdeo omittendo multa que dici possent ⁊ dico q cõfessor qui videt rẽ esse dubiã ⁊ iudicat de re dubia id qd de ipsa tãq dubia est iudicandũ nõ discordat a veritate immo cõcordat cum veritate determinãdo illã dubiã prout est. Qñ

ergo factū ē dubiū ⁊ cōfessor determinat qd agēdū sit de ipso tāq̄ dubio determinat factum prout est.
Sed ita est q̄ qñ factū est dubiū teneris durante dubio abstinere alias peccas mortaliter exponendo te scienter periculo peccati mortalis. vt sepius dictum est: ergo confessor non potest te absoluere si nolis desistere a tali periculo ⁊ nolendo te absoluere iudicat de facto dubio tanquā dubio a quo teneris abstinere ideo cum nolis ipse non vult nec potest te absoluere: Et ideo quando factuȝ est dubium: non debet dicere confessor q̄ nolit absoluere quia est peccatū mortale nā malefacit sic dicēdo. sed debet dicere nolo te absoluere quia cum sit dubiū an sit morta. teneris durāte hoc dubio abstinere: alias peccas mortaliter exponendo te tali p̄riculo. Similiter qñ dixi in casu precedenti q̄ si est peccatum venia. dispositiuum ad mortale dispositione propinqua q̄ non debet absolui.
Confessor non debet dicere q̄ ille ornatus sit peccctū morta. q̄r mentiretur: sed debet dicere: nolo te absoluere q̄r cū intendas perseuerare: exponis te periculo peccandi mortaliter: ad quod periculū perseuerantia ipsius ornatus inducit: ⁊ ideo teneris abstinere: ⁊ ista puto bene notanda. Et per hec suspicor q̄ multi cōfessores damnentur: sepius dicētes: melius esse peccare in misericordia q̄ iniustitia ⁊ non intelligunt q̄ in dubijs illa est maior misericordia ⁊ maior fauor anime quando capitur pars tutior licet sit durior: vt est de mente omnium canonistarum. Et facere contrarium non est misericordia sed potius crudelitas: dum se exponit ⁊ alios ad periculum peccati mortalis non eligendo partem tutiorem: ideo ad predicta bene aperiant oculos confessores.
Concludo ergo saluo meliori iudicio q̄ non credo q̄ aliquo modo possit absolui vir vel mulier si non vult abstinere quando factum est dubium in se: vel etiam illa nescit exprimere intentionem suam: vel quia confessor nescit illaȝ intelligere: ⁊ in hoc credo salua reuerentia defecisse Summistas.
¶ Contra quos etiam illud pōt adduci id quod ipsi Summiste omnes dicūt in materia confessionū dū volūt q̄ cōfessio facta cōfessori dormiēti vel nō intelligēti est reiterāda vt ibi p̄ ipsos: quō ḡ volūt hic ipsi q̄ possit absoluere mulierē qñ non

intelligit intẽtionẽ ipsius: ⁊ ideo nõ credo ꝙ possit absoluere qñ nõ intelligit intẽtionẽ ipsius nisi capiat tutiorẽ partẽ: ⁊ per viã suppositionis (vt dictũ est) impendat absolutionem.

¶ Et si iterũ dicaẜ intẽtio dubia ẽ in melius interpretãda: sed qñ mulier nescit exprimere suã intentionem: est dubiũ de sua intẽtione: ergo est in melius interpretãda ẜm. S. Tho. vbi supra quia iudicare de corde vel intentione est iudicare de ꝑsonis. Ad hoc respondeo qñ video te aliquid facere ⁊ nescio qua intentione hoc facias. s. bona vel mala: debeo interpretari ꝙ facias cũ bona intẽtione ⁊ ita procedit dictũ. S. Tho. sed qñ scio ꝙ id qđ facis: facis cũ intentione dubia: tũc in foro anime volẽdo determinare an id deinceps debeas agere: debeo capere partem tutiorem pro anima tua: tutior autẽ pars est ꝙ stãte dubio non facias illud quia hoc est in melius interpretari ⁊ si durius videatur vt ex predictis patet. ¶ Si iterũ dicas ꝙ mulier non habet dubiã intẽtionẽ licet nesciat illã exprimere. Rñdeo cũ cõfessor nõ possit iudicare de intẽtione cõfitẽtis nisi quatenus percipit ex verbis confitẽtis: iuxta illud Jurista le. s. ꝙ propositum in mente retentum nil operatur: ideo cum confessor sit dubius ex eo q: non intelligit mentẽ ipsius: ideo debet eligere ꝙ tutius est.

¶ Ultimo pro cõplemento istius articuli. Nota ꝙ faciẽtes vestes que non possunt portari sine peccato mortali vt q: clarũ est esse mortale peccãt mortaliter quia cooperãtur in crimine. 2. q. i. c. notũ ita dicit archi. Flo. in. 2. par. tit. primo. c. 23. ⁊ tales artes nõ sunt dicende artes ⁊ ideo extirpande ẜm. S. Tho. 2. 2. q. 169. art. 2. in fi. nam artes in tantuȝ dicende sunt artes: inquantum de necessariꝭs vite subueniunt: sed vbi superflua prestant: non sunt dicende artes vt plene per Alex. de Ales in. 2. par. q. 151. in vltimo mẽbro. ⁊ ideo Licurgus artes inutiles ⁊ superuacaneas ex vrbe deiecit. Et apud Getulos femine ipsoꝝ vniuersos aspernantur odores: nec tintis vestibus induunẜ ẜm Eusebiũ in. 6. de prepara euange. Et vt dicit frater Ricardus ordinis predicatoꝝ in lib. de moribus ⁊ nequitia Turcoꝝ: femine Turcoꝝ simplicissimo modo vtũtur in vestitu sine nota alicuius curiositatis vel superfluitatis. Jsta cõclusionẽ sequunẜ oẽs Summiste: ⁊ melius omnibus

cõprobat. S. Bernardi. de religio. christia. sermo. 46. q2 cuꝫ dent cãm damni spũalis: ideo peccãt: ꝛ tenent ad restitutionẽ eo modo quo fieri in talibus põt ꝭm Scot. in. 4. dist. 15. q. 2. vnde facientes vẽdẽtes: vel quõlibet alienãtes dant causam efficacem ꝭm ipsum ibi.

¶ Item peccãt mortaliter patres ꝛ matres vel fratres qui il-las gubernãt patre defuncto quia ad istos spectat illas corri-gere ꝛ quia cooperãtur in crimine emẽdo sibi talia. vel permit-tendo talia portare. Idẽ dico de maritis quia debent vxores corrigere. Et ideo isti tales. s. patres ꝛ matres mariti ꝛ alij ad quos spectat prohibere: dicũtur scãdalizare indirecte: naꝫ ꝭm Gerson in. 2. par. in tractatu de paruulis ad Christum trahen-dis in. 2. cõsideratione. Ille scandalizat indirecte dũ non pro-hibet scandalũ qñ sua autoritate vel officio posset ꝛ deberet sicut negligentia naute submergit nauem. Aut si quis volens prohibere scandala impeditur seu contumelijs apertis seu de-tractionibus occultis seu damnis ꝛ alijs diaboli mille machi-namentis. ꝛ est peccatum mortale ꝭm ipsum ibi.

¶ Item mortaliter peccãt mulieres adiutrices vt sunt ille q̃ ornãt vel fucãt alias vel docent illas se fucare aut vanitates re-probas inuenire vel inmitari sicut sorores: propique: socie: vel vicine ꝛ similes quia cooperantur: nam ex quo clarum est ꝙ principales peccant mortaliter peccabunt ꝛ cooperantes.

¶ Itẽ peccãt mortaliter associãtes illas ad spectacula ꝛ lasci-uias ꝛ festa qñ alias ille femine vane non irent sine talibus as-sociantibus ꝓpter qõ ꝛ multa peccata mortalia faciũt ꝛ mul-tas animas Christo furantur. De omnibus istis furtis spiritu-alibus associantes tenẽtur: nã ꝭm Theolo. in. 4. dist. 15. ꝛ Ca-noni. in. c. sicut dignũ de homic. ꝛ legistas in. l. is qui opẽ. ff. de furtis qui prestat opẽ furi tenetur de furto ꝛ obligatur ad re-stituendum q̃to magis dicendũ in furto spirituali ꝙ in cõsciẽ-tia associantes teneantur quando alias ille non irent.

¶ Non ob. si dicatur ꝙ nõ associant illas cum illa intentone quia respondeo post q̃ cognoscunt ꝙ si nõ associarẽt illas nec ipse illuc pergerent nec tantoꝝ maloꝝ̃ causa fierent: associan-tes illas dant causam efficacem tantis malis. Ista omnia sunt de mente. S. Bernardini vbi supra. Que omnia intelligo

qñ cõstat opus ipsum eẽ mortale vt q: scãdalosum vel qd simi le ꝑm dicta ĩ ꝑcedẽtibꝰ:secꝰ qñ eẽt morta.solũ pp malã intẽtio nẽ:q: tũc excusanẽ cũ intẽtio alteriꝰ alteri nota eẽ nõ possit.nisi forte reuelasset ei suã intentionez q: tunc peccaret mortaliter.

¶ Idem dico per predicta ꝙ nõ solũ artifices ⁊ magistri prin cipales sed etiã famuli seu:vt ita dixeriz:garzones faciẽtes seu coadiuuantes ad talia nõ excusantur a mortali tanꝙ cooperã tes in crimine vt probatur ex dictis per docto.⁊ summistas in materia restitutionum dũ dicunt ꝙ seruitores deputati ad solã actualem seu manualem traditionem vsurarũ peccant mortali ter licet sint solum executores.

¶ Ex hoc respõdeo ad excusationẽ quã multi vel mulie pos sent adducere dicendo ꝙ sunt sue ancille vel famuli sui ⁊ ideo associant eas:nam dico ꝙ ista non excusant a peccato mortali quia sicut si associares dominum tuum ad adulterandum pec cares mortaliter vel si associares dominum tuum ad occiden dum alium vel furandum:tu non esses excusatus scienter asso ciando:sic nec in casu isto.

¶ Quando autem est dubium inter docto.an ornatus sit pec catum mortale:tunc obedientia excusat vt dicam arti.sequenti quando autem esset dubiũ propter qualitatẽ vel quãtitatẽ or natus tũc iste excusaretur non aduertendo de periculo.

¶ Subdo hic vnũ de mente beati Joann.de capistrano in dubijs suis nam dicit ipse.Pone ꝙ mulier portat ea pro qui bus non potest absolui:si vir non vult ⁊ exhortatur eam ꝙ illas dimittat: ⁊ ipsa non vult:vel pater ipsius viri prohibet eam vtrum ipse vir possit absolui: Rñdeo si pater eius nullo modo vult cõsentire ⁊ prohibet:potest ipse vir libere absolui non aũt si vxor solum repugnat:aut ꝙ ipse vir non timeat pa trem aut ꝙ sit liber a potestate patris:quia vir debet habere potestatẽ super vxorẽ suã.hec ille ⁊ bene iudicio meo.

Articulus Tertius De preciositate vestiuz ꝛ ornamentorũ.

Q Uo ad preciositatem vestium ꝛ aliorũ ornamentorũ pono sequentes conclusiones.

